



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

19. Dies Octobris. Quocunque tempore non cogitaveris Deum, pura
tempus illud amissum. Cæsarius Mont. 2. cap. 3.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Atum, unitas voti reperitur. Vitium in varia se dispergit, nunquam in unum se colligit. Hoc pessimum malum habemus, mutare mala, variare vitia, non ponere cupiditates, sed transponere: alioquin vel vitii tædio, citius boni essemus. Ægrè unum reperies, qui vix unus sit, & non variis affectibus, quibus indulget, varios non referat. Praclarè Origenes ad illa verba, (a) *Fuit vir unus. Hoc, inquit, pertinet ad laudem Iusti, quod dicitur vir unus, Nos, qui adhuc peccatores sumus, non possumus illum titulum laudis acquirere: quia unusquisque nostrum non est unus, sed multi. Intuere namque alicujus vultum nunc irati, nunc iterum tristici, paulo post iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum levis: vides quomodo ille qui putatur unus esse, non est unus: sed tot personæ in eo videntur esse, quot mores?* Fies unus, nixus, ut fulcro, uno Deo: Fies mutabilis, adhærens mutabilibus. Accipe nunc sapiendi methodum.

Qui sapit, hic spernet, quidquid mutabile cernit.

19. DIES OCTOBRIS.

Quocunque tempore non cogitaveris Deum, puta tempus illud amissum. *Cæsarus Morit. 2. cap. 3.*

Dei præ. I.
sentia.

Magna est jactura temporis, sed maxima dum non es memor Numinis. Amissum scias omne tempus, quo non occurrerit animo tuo Deus. Quomodo potes oblivisci Dei, qui semper meminit tui? & sic meminit, quasi aliquorum omnium inmemor, solus esses, de quo solo possit meminisse. Gaudet rusticus si intelli-

(a) 1. Reg. 1.1.

gat sui memorem fuisse Regem ; cur non gaudes, cum tui semper meminerit, ille Rex Regum, per quem Reges regnant. Gaudet infirmus, si inviset eum medicus, licet sanaverit paucos ; cur tu non gaudes habens in te illum Medicum, de quo virtus exit, & sanat omnes? Gestit miser si habeat amicum, qui illius misereatur in miseriis : cur ego non gestio, repletus multis miseriis, cum illum habeam in meis visceribus, qui habet viscera Misericordiae? Expendunt homines etiam pecuniae pretium, ut videant informe monstrum, & ego gratis non aspicio ejus pulchritudinem, in quam desiderant Angeli prospicere? Regina Saba tot confecit itinera, ut semel videret Regem Salomonem in sua gloria ; & ecce plusquam Salomon est hic, quem habeo mihi non tantum circum me proximum, sed in me intimum. Deus operatur omnia in omnibus pro te, imò in te, & tu non modò nihil pro eo operaris, sed vix semel per diem illius recordaris?

II. Quid aliud faceres cum hoste tibi, tuisque capitali, quam cum Deo tibi tam amabili, nolens respicere eum, tibi ubique obvium, & in te semper tam beneficium? Providentia Dei semper prospicit, ne quid tibi desit ; Potentia, ut tibi in necessitate adsit ; Sapientia, ut te instruat ; Bonitas, ut te diligat ; Justitia, ut pro meritis satisfaciat ; Misericordia, ut è miseriis eripiat. Sic totus Deus tibi intendit toti, & se totum tibi impendit cum omnibus sui perfectionibus : cur non contendis illi intendere, cum tot tuis quibus scates defectibus? Si Rex è suo palatio ad tuum descenderet gurgustiolus, ut

ut omne suum tibi deferret obsequium; si ut quiesceres, stratum tibi sterneret; ut calefaceres, focum strueret, ut comederes, cibum coqueret; ut munda esset, domum verreret; ut scriberes, calamum scinderet; ut teegereris, vestes conficeret: denique ut nihil tibi deficeret, nihil non pro te faceret; illumne possit tot officia auderes manu percutere, conviciis impetere, imò vel verbo offendere? Confer Regem cum Deo, illius obsequia cum Dei beneficiis, & invenies inter utraque hæc, immensum esse intervallum. Deus ubique tibi occurrit, & tecum operando concurrat, & si quid desit, succurrit, ne in mala incurras, & tu ab illo curris, ab unico tuo refugio fugis; ad eum qui semper ad te faciem convertit, dorsum obvertis? Audi D. Thomam, & frapet tuam culpam: (a) *Deus omnipotens singulis Angelis, sanctisque animabus in tantum se subicit, quasi sit servus emptitius singulorum, quilibet vero ipsorum est Deus suus.*

III. Quanta cum reverentia, modestia, & honore accedis ad eum, cui soli debetur omnis honor, ut suscipias in te Christi corpus. Deus non tantum est intra tuam carnem, sed animam, cur caro, & Anima tua non exultant in Deum vivum, cum sit vita vitæ tuæ? Sive palam, sive clam, idem sis: Deus est juxta, Deus extra te, intra te, supra te: intra te, sicut in medio oceanus aquam undiq; impletur spongia, sic Deo tua anima. Cur longa facis vota tua, cum Deus tam prope sit? quid speras extra Deum alia gaudia, cum intra te habeas Deum unde gaudio gaudeas, & illo quod nemo à te tollat? Cur tota die contristatus progredieris, cum in venis tuis sit ille, qui (b) *latet in circuitu Dei?*

(a) *Opusc. 6. 3. c. 2.* (b) *Psal. 45. 5.*

Octob.

Tessera.

833

Cur mæres afflictus, cùm tecum sit solatium affli-
 ctorum, præsidium afflictionum? Quid times, cùm
 illum ubique circumferas, quem timent omnes, &
 omnia etiam quæ timentur? Cur friges, cur non ar-
 des, cùm ille te totum occupet, qui venit ignem mit-
 tere in terram, nec aliud vult, quam ut accendatur,
 ut tu inde accendaris? O quam divinè dixit Divinus
 Antonius. *Ubique possemus invenire cælum, si cor
 nostrum esset in corde Dei.* O excors! ô vecors: de-
 relinquit te cor tuû, quia non est in corde Dei sui. Tu
 ergo, ut tibi benè consulas, vive Deo toti, qui se to-
 tum tradit tibi. Idem est consilium Poëtæ:

Vive Deo soli, quod amat caro, querere noli.

20. DIES OCTOBRIS.

Cui totus orbis non sufficit, quinque terræ pedes
 sufficient. *Oleaster. in capite 14. Isaia.*

Varia pro I.
 salute sug-
 geruntur
 documenta.

CUM sensim prætervalent tem-
 pora, antequam nos deserant,
 varia suggero pro pace consi-
 lia, pro salute documenta, pro
 Virtute incitamenta. Hoc sit primum quod sug-
 gero consilium, ut tibi sæpè objicias, contractum
 ad quinque pedes tumulum. Sit tibi pro hodierna
 lectione epitaphium cujusdam Regis Franciæ, ple-
 num quidem acuminibus, sed & piis admonitioni-
 bus, quibus omnium ambitio utinam pungatur, &
 amor ambitionis expungatur:

Risi, ploro. Fui, non sum. Studui, requiesco.

Lusi, non ludo. Cecini, nunc mutio, pavi

Corpus, alo vermes. Vigilavi, dormio. dixi

Salve, dico vale. Rapui, rapior. superavi,

Pars III.

Ggg

Fin.